



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An Laici non possint præscribere decimas ob defectum possessionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. I.

An, & qualis possessio requiratur ad præscriptionem?

Quod ad omnem præscriptionem necessarium requiratur possessio, aut si incorporalia præscribantur, quasi possessio, constat ex regula juris 3. in 6. & ex L. 2 §. ff. de Usucap. Et quidem quod non sufficiat sola naturalis, sufficiat tamen civilis, sive sola sit in præscribente, sive conjuncta sit cum naturali, ex variis Juribus habetur; & ex eâ ratione, quod ad præscriptionem ea requiratur, & sufficiat possessio, vi cujus transferri potest dominium, aut quasi dominium, sed sola naturalis possessio non est sufficiens, ad transferendum dominium, aliâs etiam depositarius rem depositam præscribere posset, & possent duo simul eandem rem præscribere, casu quo unus eam naturaliter tantum, alter civiliter tantum eam possideret, quod est absurdum concedere, ergo sola naturalis non sufficit; sufficit autem sola civilis, per quam dominia transferri possunt.

§. II.

An Laici non possint præscribere decimas ob defectum possessionis?

Respondetur affirmative, prout expressè deciditur in c. Causam 7. h. t. (cum sint juris hujus possidendi incapaces) ita ut jus percipiendi decimas, neque tempore immemoriali præscribere possint, quamvis optimâ fide illud habuerint, & fama communis, erronea tamen fuerit, quod legitima concessio facta ab Ecclesiastica persona intervenerit; cum error hic nec titulum verum, nec veram juridicam possessionem illis tri-

buerit, immemoriali tempore tum in omni tituli præsumptionem inducente, & capacitas possidendi in præscribente eadem. Quod si tamen cum temporis immemoriali possessione, fama communis concurreret, de legitime à Prælati Ecclesie ante Lateranense, vel à Pontifice obsequio jure decimandi, esset quidem hic titulus Laicus tam in foro interno, quam externi securus à decimarum, aut juris decimarum restitutione, quia ipsa hæc antiquitas legitime concessionis olim factæ præscriptionem inducit, si tamen postea constaret per instrumentum v. g. antiquum modò repertum, jus decimarum per illegitimam & invalidam alienationem à majores illius pervenisse, obliquetur hinc talis, non obstante ullâ antiquâ possessione præsumptâ ad restitutionem.

Intelligi tamen hoc debet de jure decimandi spirituali, sive quod fundatur in spiritualibus administrationibus & institutionibus: quod si enim decimæ per illegitimam auctoritatem à titulo seu spirituali separatæ sunt, possunt uti possideri, & præscribi à Laicis, cum ut sint Laicales: à nemine tamen habet hæc decimarum à jure spirituali separatæ fieri potest, nisi à solo summo Pontifice, penes quem etiam hujus materiam plenissima potestas est; cujus etiam est, per privilegium Laicis jus hoc decimarum concedere. Plura tamen de hoc infra in Tit. de Decimis.

§. III.

An ad omnem præscriptionem & omni tempore necessaria sit bona fides ad præscribendum?

Quidquid sit de jure Civili Cælestes